

- 1028 vehementer iratum fuisse, atque in quibusdam aperte adversatum. In hoc statu erant res Venetæ, quum Centranicus, qui jam annos quatuor rem Venetam administrarat, Urso Gradenfis, ut fertur, opera a populo captus, atque adempta prius barba, monasticoque insuper habitu inducto, in exilium est actus. Petro ejecto, jubet populus Ursum Rempublicam capeffere, ac tantisper illi ducaria potestate præesse, dum Otho ejus frater ab exilio revocaretur. Missi ad hoc ipsum legati: qui retulerunt, postquam in Græciam venissent, comperisse se aliquanto prius Othonem, quam ipsi eo applicuissent, ex humanis decessisse: quasi divinitus esset factum, ne ingrata civitas tantum virum reciperet, quem optimi Principis filium, atque eum ipsum de Republica optime meritum, ignominiose a paucissimis conjurationis consciis in exilium agi passa esset, & quum injuriæ potuisset occurrere, noluisse. Morte fratris audita, Ursum, qui jam annum Reipublicæ præfuerat, se ultro præsentī administratione abdicavit. Eo abeunte Dominicus Urseolus, domestico magis splendore fretus, quam quod multi ei suffragarentur (tangebatur enim Othonem arctissimo consanguinitatis gradu) temere Ducatum invadit. Verum civitas suæ libertatis memor, rata si insolentissimi civis conatibus non iretur obviam, fore ut paulo post beneficium populi pessimus quisque pessimo exemplo adductus ad libitum usurparet: postridie quam Magistratum occuparat, impetu in eum facto trucidasset, nisi clandestino effugio sibi salutem quærivisset. Exul Ravennam venit, ubi haud multo post quam exulare cœpit, vitam cum morte commutavit.

1032
Dominicus
Urseolus
Ducatum
invadit.

Ejicitur.

Dominicus
Flabanicus
Dux creatur.

Urseola familia optime de Republica merita urbe ejicitur.

Brevissimum Urseoli Principatum Dominicus Flabanicus, Dux suffragio populi creatus, nova administratione excepit. Is, ut diximus, Othonis in exilium ejiciendi auctor fuerat: quapropter Urso Gradenfi Antistite Rempublicam tenente, hostis judicatus civitate excesserat: nec ita multo post, populo id petente, fuerat in urbem restitutus. Continuo igitur publica administratione suscepta, ad populum tulit, videri sibi æquum valdeque Reipublicæ salutare, omnem Urseolam familiam, tanquam perniciosam, ac civitatis ocio infestam, urbe